



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Condem. Censvrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

CONDEM. CENSURAE.

DE gradibus fidei superius dixi, sancti credunt & Deum, Deo & in Deum, & in Deo quod est idem &c. Negat præterea sanctos tantum Christi fiducia esse saluos. Audi Christe fili Dei uiui, quid de te sentiant Monachi, negant tuum regnum, tuum meritum, tuum sacerdotium, fanatici spiritus. Et quousque patieris ita blasphemari a nostris spiritualibus? nisi matures aduentum, nihil reliquum facient isti, de tuo honore. O inuisum genus hominum, Christo & ueritati. Apage trifurcifer & homo asse non æstimandus, nisi poenitentiam egeris, grauissime animaduertetur in te, Miror Episcopum Vuienensem, quod ad has impias uoces ita conuiuet, ut etiam collaudarit authorem. Meas autem propositiones hæreticorum uocat duerniones, & Monachi non item. Securis ad radicem posita est, Rei indignitas hoc expressit.

Roma. 3.
3. Regn. 8.
Galat. 2.
Ordo. 21.

1. Tim. 2.

In sanctis naturam si spectes, peccatores fuerunt, Ro. 3. 3. Regum 8. Sed credentes Deo per Christum seruati sunt, nobis exemplum fiducia facti. Deum laudamus in sanctis ut Gal. 2. In me, glorificabant Deum. Et Acto. 21. Magnificabant Deum in Paulo, Laudate dominum in sanctis eius (quam alio respexit hic uates) Cæterum Frater dicit me aliter docere, quæ docuit Paulus, qui doctorem habuerit spiritum sanctum, me uero pseudoparacletum ab Aquilone, unde pandetur omne malum &c. quorsum tēdat teneo. Scio Paulum habuisse doctorem Spiritum sanctum, Scio & Monachos habere doctorem spiritum, sed eum de quo Paulus. 1. Ti. 4. Cæterum Romana sedes est aquilo iste, de quo omnis pestis pietatis & tot uariiegata impostorum genera prodierunt. Plures enim sunt species huius purpuratæ meretricis, quā auium genera. Porro unus Lutherus homo, & pietate, &

& summa eruditione uenerabilis, displicet uobis quod alia *Intherius*
quatenus uestris uos depinxit coloribus. Imo gratia erant
referenda homini, quod ad meliora sit uos hortatus. Argue
sapientem diligit te, sed surdis canis fabula, coniunctis omni
bus uiribus non potestis unum illum prosternere, quem Deus
Opt. Max. nobis ad annos Nestoreos conseruet, Amen.
Dic Monache impie, huius doctrina (quod suggillas) quam
consentiat Spiritui sancto: quam unice quærat gloriam Chri
sti: quam efficaciter cõdemnet uestram doctrinam: Nolite
ante tempus eum iudicare, legite & intelligetis.

PROPOSITIO XXV.

Fides charitate, ut arbor fructibus carere non potest.

CENSURA.

DE quacunque fide dicat, contradicit sibi ipsi &c.

CONDEM. CENSURAE.

Fides operosa est, ferax bonorum fructuum. Fides enim
per charitatem efficax est, si Paulo credis. Et arbor bona
non potest malos fructus facere, si Ioanni & Christo credis,
sed non potest quicquam ita pie dici, quod sycophantarum
morsum effugiat. Augustinus de fide & operibus. Insepara- *Augustinus*
bilis est quippe bona uita a fide quæ per dilectionem opera
tur. Imo uero ea ipsa est bona uita.

PROPOSITIO XXVI.

Sola fides format opera, errant qui aliter docent.

n 3

Censura